



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola I. Ad Ioannem Episcopvm Ravennatem. Monasterium
monachorum non per clericos nec laicos ordinandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

GREGORII MAGNI PAPÆ I.

EPISTOLARVM LIBER IV.

INDICT. XIII. ANNO ORDINATIONIS EIVS V.

EPISTOLA I.

AD IOANNEM EPISCOPVM RAVENNATEM.

Monasterium monachorum non per clericos nec
laicos ^{* adoranda} gubernandum.*Gregorius Ioanni Rauennati episcopo, &c.*

Grat. 18. q.
2. cap. 10.
Iuo p. 3. c.
18.
Anselm. 7.
183.
Ioan. diac.
lib. 2. c. 54. PERVENIT ad me quod in ecclesia fraternitatis tuae aliqua loca dudum monasteriis consecrata, nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta sunt: dumque hi qui sunt in ecclesiis fingunt se religiose viuere, monasteriis præponi appetunt, & per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo etenim potest & ecclesiasticis obsequiis deseruire, & in monachica regula ordinate persistere, ut ipse monasterii distinctionem teneat, qui quotidie in ^{* mī} nisterio ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua, hoc quolibet in loco factum sit, emendare festinet; quia ego nullo modo patiar ut loca sacra per clericorum ambitum destruantur. Vos itaque ita agite, ut mihi hac de re correcta causam sub celeritate nuntietis.

EPISTOLA II.

GREGORII PAPÆ I.

AD FELICEM EPISCOPVM ET CYRIACVM ABBATEM.

De ordinando monasterio Theodosiæ.

Gregorius Felici episcopo, & Cyriaco abbati.

VERELAM Theodosiæ religiose feminæ subditæ vobis satis series relationis explanat, in qua plura & non ad sacerdotalem pertinentia mansuetudinem contra Ianuarium fratrem & coepiscopum nostrum capitula comprehensa relegimus: ita ut post fundatum a te seruorum Dei monasterium, omne quod ad auaritiae turbulentiam præjudiciumque pertinet tempore dicatur oratorii ipsius dedicationis exhibutum. Quamobrem si ita est, ut antefacta eius suggestione comperimus, & in hoc quid-